33834



# FORTUNA EXULUM
# SAPIENTIA
Captivum & Exulem
## DANIELEM PROPHETAM
ad Supremum in Babylone Principatum
## EVEHENS,
*Ab*
*Illustri, Magnifica, ac Præ-Nobili, Ligatæ Eloquentiæ Juventute, Archi-Athenæi Brunsbergensis Societatis JESU*
Actu Metagymnastico
in Scenam
## PRODUCTA
Anno Incarnatæ Sapientiæ
1735.
Pridie Kalendas Augusti.



### ARGUMENTUM.

NOn Forti solummodò, Sapienti etiam ubiq; Patria est. Infallibile hujusce veritatis documentum, omnem superantes Authoritatem, Sacræ proferunt Paginæ, Danielem captivum, ac in Babylonem abductum, solâ Scientiæ, ac altioris Eruditionis commendatione, non modò apud tres successivè Babylonis Monarchas: Nabuchodonosorem scilicet, Balthasarem, & Darium, charum, interq; amicos computatum, verùm ad Supremum, super omnes Provincias Babylonis Principatum evectum immortali celebrantes memoriâ. Solius id namq; Sapientiæ prædicatum est: Nullibi Exulem & ejectam, verùm ubivis non modò Patriam invenientem, sed subjectis quoq; suo Imperio terris Imperantem manere. *Ex Danielis capite: 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 14.*

### PROLOGUS.

Genius Captivi Danielis, dum feralem, Fortunæ, felicitati aliorum illudentis, contemplatur lusum, similemq; saltum secum inchoari autumat; à superveniente Sapientia, omni metu liberatur, ac ad Regale evehitur solium.

### ACTUS Imus.

*Scena Ima*

Scena 1ma. NAbuchodonoſor Rex Babylonis, expugnatâ Jeruſalem, eius Rege Joakim capto, parteq; vaſorum Domûs DEI aſportatâ, triumphans Babylonem ingreditur; ubi captivum Regem Joakim, exprobratâ eius perfidiâ, capitali ſubdit pœnæ. Ex captivis verò, illis præcipuè, qvi forent de ſangvine Regio, eligendi *pueros decoros formâ, Eruditos omni ſcientiâ, qui poſſent ſtare in Palatio Regis* Dan: 1. c. curam cõmittit Aſphenesio Principi aulæ.

Scena 2da. Aſpheneſius examinans conditionem captivorum, reperit Danielem, Sidrach, Miſach, & Abdenago, Regio Regum Juda ortos genere, aliosq; haud plebejo productos ſangvine; qvos probatos de ſcientia, in conſpectum Nabuchodonoſoris reducit; *cumq; eis locutus fuiſſet Rex.* Dan. 1. c. raram ex reſponſis colligens ſapientiam, Danielem, Sidrach, Miſach, & Abdenago, qvippe *omne verbum ſapientiæ & Intellectûs, qvod ſciſcitatus eſt Rex, invenit in eis decuplum, ſuper cunctos ſapientes, qui erant in Regno eius.* Dan. 1. c. in cuſtodes corporis ſui adlegit, cæteris inter Aulicos connumeratis.

Scena 3tia. Quietem inter Regales curas captans Nabuchodonoſor *ſomnium videt* Dan. 2. c. cuius imagine territus, repræſentatæq; figuræ immemor, convocari mandat cunctos ſapientes Babylonis, ſomnium indicaturos *Præmia & dona, honoremq; multum.* Dan. 2. c. Interpreti appromittens; aliàs omnes perituros minatur. Nemine autem absq; indicatione Regis valente interpretari ſomnium, Rex *præcipit ut perirent omnes ſapientes Babylonis.* Dan. 2. c. Decretiq; huius executionem committit Ariocho Principi militiæ.

Scena 4ta. Ariochum trucidantem ſapientes, adeunt Nocentius & Cerberinus Satrapæ, ad occidendum Danielem & ſocios, utpote inter ſapientes computatos, incitantes; à qvibus perſvaſus, dum illos ad pœnam rapi mandat, Daniel cauſam mortis inqvirit, de qva edoctus, interpretem ſe ſomnij Regalis offert. Lætus Ariochus hoc eventu, cum Daniele adit Regem, interpretem ſomnij eius inventum indicans. Daniel verò à Rege tempus ad ſolutionem ſomnij dari impetrat; rediensq; ex Aula ſocijs tribus indicato negotio cum ijsdem in oratione proſternitur, *deprecans miſericordiam à facie DEI cæli ſuper ſacramento hoc, ut non periret ipſe, ac ſocij cum ſapientibus Babylonis.* Dan. 2. c.

Scena 5ta. Daniel habitâ Divinitùs revelatione ſomnij Regis, adit Regem; dumq; Ei ſomnium narrat & explicationem eius, à prociduo in faciem Rege adoratur. Poſt hæc *Rex Danielem in ſublime effert, & conſtituit eum Principem ſuper omnes Provincias Babylonis.* Dan. 2. c. Qvi Princeps creatus, impetrat promotionem trium ſociorum, ad Præfecturas, *ſuper opera Provinciæ Babylonis.* Dan. 2 c.

## CHORUS 1mus.

Favor velatis oculis, dum ab Invidia Doloq; in oppoſitos mucrones perimendus ducitur; Sapientiâ oculos revelante, Invidiam Dolumq; repellente ab interitu liberatur. Quâ tandem præduce, ad Principale evectus ſubſelium, Inveſtiturâ Principum exornatur.

## INTERLUDIUM.

# ACTUS 2dus.

Scena 1ma. NAbuchodonoſor factus Monarcha, Divinum ſibi arrogans honorem; erigit ſtatuam auream, edictumq; promulgat, ut *Omnes populi, Tribus, & lingvæ, in hora, quâ audierint ſonitum tubæ & cytharæ, & ſymphoniæ, cadentes adorent ſtatuam auream, quam conſtituit; ſi quis autem non proſtratus adoraverit, eâdem horâ* mittendum *in fornacem ignis* decernit; Dan. 3. c. Omnesq; Principes ad dedicationem huius ſtatuæ convocari mandat.

Scena 2da. Nocentius & Cerberinus, uti nuper ex fruſtrato ſuarum technarum ſucceſſu anxij, ſic modò læti ex oblata occaſione nocendi, ſi non Danieli ( cujus Poteſtatem verebantur) tribus ſaltem eius ſocijs, utpote non pariturıs Decreto Regis tanqvam cultoribus DEI vivi, optimumq; perditionis illorum modum ſuppeditatum ſibi gratulantur. Quare in illorum criminationem conſpirant.

Scena 3tia. Advenientes Principes, dum à Nocentio & Cerberino confingentibus expectationem Regis, præmonentur, ingrediuntur aulam; unde cum Rege, ſtatuam auream adoraturi, progrediuntur. Qvam dum ad ſonum muſicum, omnes præter Danielem & ſocios, procidui adorant; Nocentius & Cerberinus accedentes Regem, accuſant Sidrach, Miſach & Abdenago ut contemptores mandati regii, quos Rex ad iteratum muſicum concentum, dum adorare ſtatuam jubet, id recuſantes, in fornacem ignis proiici jubet.

Scena 4ta. Flamma ex fornace erumpens, circumſtantes interficit; tres autem injecti, illæſi perambulantes per medium ignis, laudant DEum in canticis, qvos ab æſtu liberat, Angelus *faciens medium fornacis tanquam ventum roris flantem.* Dan. 3. c. Nabuchodonoſor verò Rex cernens *quatuor ſolutos in medio ignis, & nihil corruptionis in eis, & ſpeciem quarti ſimilem Filio DEI,* Dan. 3. c. territus illos evocat, miraculumq; DEI adorans, DEO illorum benedicit, honori priſtino reſtituens liberatos.

Scena 5ta. Nabuchodonoſor redux in aulam, ſolitarius præſens miraculum conſiderans, ſomno opprimitur; ex quo novâ turbatus viſione, expergiſcens; dum ſomnij figuras anxiâ penſat mente; explicationem primò illarum à ſuis edoceri cupit Magis & Ariolis, cumq; *ſolutionem non poſſent indicare* Dan: 4. c. Danielem accerſit

Scena 6ta. *Ingreſſus in conſpectum* Regis *Daniel* Dan. 4. c. ab eodem edocetur ſe ſomnio, & illud explicare iubetur; per quod dum pœnam à DEO in Regem immitendam, illumq; in beſtiam transfigurandum prædicit, monet, ut *peccata Eleemoſinis, & miſericordiâ in Pauperes redimeret.* Dan. 4. c.

Scena 7.

*Scena 7ma.* Territus imminentis declaratione pænæ Nabuchodonosor, dum distracturus mentem lætiori, in aula cum Optimatibus genio indulget; amplitudinem Regni sui, Gloriamq;, qvam in toto orbe habebat, considerans, ac superbè se parem DEO jactans; mirabili metamorphosi in bestiam convertitur, atq; *ex hominibus abiectus fænum ùt bos comedit.* Dan: 4. c. Daniele interim, cum Balthasare filio Nabuchodonosoris Monarchiam Babylonis administrante.

CHORUS 2dus.

Genius Danielis, dum Principali gestit Honore, ab occurrentibus ex insidiis Dolo, Invidiâ, ac Furore, ex solio deturbatur, Principaliq; privatur cultu.

INTERLUDIUM.

# ACTUS 3tius.

*Scena 1ma.* EXpirante, iuxta prophetiam Danielis, tempore pænæ, Nabuchodonosor formam bovis præseferens, in aulam, præsentibus Optimatibus, adducitur, ibiq; antiqvæ hominis restituitur formæ; laudansq; DEum cum majori magnificentia *ad honorem Regni, decoremq; pervenit.* Dan: 4. c. Verùm senio jam se gravatum sentiens, Filium suum Bathasarem, in Monarchia socium adlegit, illiq; supremum ius Regiminis comittit.

*Scena 2da.* Balthasar Rex conclamatus, dum turbatam, propter absentiam Nabuchodonosoris, compositurus descendit Babyloniam; à Nocentio & Cerberino Danieli invidis Satrapis, inducitur, qvòd Danielem omni honore privat, privatumq; nonnisi vivere sinit. Interea advenit Nuntius, Nabuchodonosorem, insperato occubuisse fato significans; Unde non modicum turbatus Balthasar, Regiâ parentat Pompâ, in Magno illo Bal Fano, Monarcharum Babylonis conditorio.

*Scena 3tia.* Mærore pressum animum alleviare cupiens Balthasar Rex, seq; hæreditariæ instauraturus Monarchiæ, *Grande instruit convivium,* ibiq; cum optimatibus lætiori indulgens genio, *præcepit jam temulentus, ut afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportaverat Pater eius de Templo DEI.* Dan: 5. c. ex qvibus ipse, & Optimates eius bibentes dum *laudant Deos suos aureos, argenteos, & lapideos,* apparent *digiti qvasi manûs hominis scribentis contra candelabrum.* Dan: 5. c. Qvâ scripturâ visâ, Rex territus, ignotosq; characteres cum advocatis sapientibus Babylonis legere non valens, sollicitudinem Procerum movit, qvi Danielem, *in qvo omnis scientia & sapientia inventa sunt.* Dan: 5. c. advocandum statuunt, Prodigiosam hanc scripturam Regi explicaturum.

*Scena 4ta.* Daniel in Regiam introducitur, cui Rex ait: *si vales scripturam legere, & interpretationem eius indicare mihi, Purpurâ vestieris, & torquem auream circa collum tuum habebis, & tertius in Regno meo Princeps eris.* Dan: 5. c. Renunciatis ille his muneribus, dum correpto imprimis Balthasare, eò qvòd vasa Domûs DEI contaminaret, explicat scripturam, ex qva Ipsum occidendum, Regnumq; eius inter Persas & Medos dividendum prædicit, *Rege iubente induitur Purpurâ, & circumdatur torques aurea collo eius, prædicaturq; de eo, qvòd haberet Potestatem tertius in Regno Babylonis.* Dan: 5. c.

*Scena 5ta.* Balthasar meditans verba interpretationis, ad conclave secedit, ibiq; ingruentibus fessus cogitationibus, dum qvieti indulget, ab irruente subitò in Babylonem, & Regis aulam, Darij Persarum Regis milite, *eâdem nocte interficitur.* Dan: 5. c.

CHORUS 3tius.

Laureatus Genius Danielis, dum erudito inter nemoris abdita vacat otio, placidè sopitur; ac à Sapientia, Religione & Prudentia, mitram, torqvem, & Purpuram adferentibus, inter concentus iisdem insignibus exornatur; qvibus abeuntibus experrectus, dum tantam miratur metamorphosim, ab accurente Invidia, adductumq; leonem immittente terretur. Verùm ad obtutum Genij Danielis cicuratus Leo, dum acriùs ad lanienam ab Invidia incitatur, in eandem insilit, ac discerpit.

INTERLUDIUM.

# ACTUS 4tus.

*Scena 1ma.* DArius Rex Persarum ascendit solium Monarchiæ Babylonicæ, ubi reformans Imperium, *constituit Satrapas, & super eos Principes tres, ex qvibus Daniel unus erat.* Dan. 6. c. Illumq; ob præclaram sapientiam, famamq; nominis, cogitat *constituere super omne Regnum;* unde dat occasionem invidiæ malevolis Danieli.

*Scena 2da.* Nocentius, & Cerberinus invidiâ tabescentes, ob tantam apud Darium Danielis æstimationem; insidias struunt, eiq; nocendi occasionem *in lege DEI sui.* Dan: 6. c. confingunt. Qvare alios inducunt satrapas ad obsecrandum Regem, ut iuxta consvetudinem Regum Babylonis suum inchoantium Imperium, Imperatorio caveret Decreto, ut *qvi petiêrit aliqvam petitionem à qvocunque Deo & homine usq; ad triginta dies, nisi à te Rex; mittatur in lacum leonum.* Dan: 6. c. qvibus consentientibus, Regiq; id proponentibus, Rex facilè annuit, sententiamq; promulgari jubet.

*Scena 3tia.* Daniel decretam à Rege minimè timens pænam, *tribus temporibus in die flectebat genua coram Deo suo.* Dan. 6. c. Qvem sic orantem subornati à malevolis invenientes, læti ex eventu, adeunt Regem, Danielemq; contemptorem edicti Regii criminantur; In qvem statutam pænam Nocentius & Cerberinus à Rege protendi urgent. Intelligentes verò Regem proposuisse à pæna liberare Danielem, liberationem impediunt, opponendo legem *Medorum & Persarum, ut omne decretum, qvod constituerit Rex, non liceat immutari.* Dan: 6. c. Itaq; ad pænam Daniel, contra voluntatem licèt assentiente Dario Rege, adduci jubetur.

*Scena 4.*

*Scena 4ta.* Daniel adductus mittitur in lacum leonum, Rege satis illius condolente, DEumq; liberatorem affuturum affirmante, *DEus tuus, qvem colis semper, ipse liberabit te.* Dan. 6. c. Occlusum verò os laci, Rex obsignat *annulo suo, & annulo Optimatum, ne quid fieret contra Danielem* à Malevolis. Dan. 6. c. Unde mæstus rediens in Regiam, secedit in conclave, ibiq; insomnem in deploratione Danielis agit noctem.

*Scena 5ta.* Summo manè Darius Rex *festinus ad lacum leonum pergens,* Dan: 6. c. *lacbrimabili voce Danielem inclamat,* qvem respondentem audiens, *vehementer gavisus super eo.* Dan: 6. c. Satrapas convocari mandat, Danielemq; salvum & incolumem è lacu educi. *Jubente autem Rege, adducti sunt viri illi, qui accusaverant Danielem, & in lacum leonum missi sunt.* Dan. 5. c. qvi mox à leonibus discerpuntur.

*Scena 6ta.* Rex pro conservatione Danielis, Deos suos culturus, ascendit Templum Bel, ubi ad adorandum simulacrum, Danielem inducit, verùm illo reponente, *se non colere Idola manu facta, sed viventem DEUM.* Dan. 14. c. Bel quoq; esse Deum viventem Rex probat, in experimentum huius fercula afferri mandans, per noctem à Bel absumenda: in majoremq; veritatis fidem, suum & Danielis sigillum apponi ad ædes Fani jubet. Dum ergo traditis Fani clavibus sacrificuli abeunt, Daniel *pueros, cinerem per totum Templum cribrare jubet.* Dan 14. c. qvo occluso, sigillisq; appositis, discedit cum Rege. Interim sacrificuli neminem superesse advertentes, Fanum per occultum aditum, ingrediuntur; cibos absumunt, potiq; abscedunt.

*Scena 7ma* Darius Rex adiens Fanum, dum sigilla infracta, cibumq; consumptum cernit, ad adorandum Bel, utpote Deum viventem, Danielem adigit, qvi dum Regem de vestigiis, à sacrificulis pulveri in terram sparso impressis interrogat, *animadverte, cujus vestigia sint hæc?* Dan. 4. c. Rex subodoratus imposturam sacrificulorum illos vinciri jubet, falsosq; dolum trucidari mandat, Belq; ac Fanum in potestatem Danielis tradit, qvi mox Idolum subvertit, Deum laudans viventem. Post qvæ redux in aulam Darius, sapientiam Danielis in manifestatione doli demiratus, illum *honoratum super omnes amicos & Principes facit.* Dan. 14. c.

## CHORUS 4tus.

Danielis Genio lætum instruentes concentum Honor & Gloria, à superstitione & seditione furibundè accurrentibus interturbantur; Qvæ, dum violentas in necem Danielis armant manus, à subveniente Danieli Sapientiâ ac Religione arcentur, ac propriis armis trucidantur.

## INTERLUDIUM.

# ACTUS 5tus.

*Scena 1ma.* NOcentius Danieli infensus Regi Dario charus, Regem, utpote alienigenam, edocet de imminenti solenni sacrificio *Deo Draconi, qvem Babylonij colebant.* Dan. 14. c. iuxta consvetudinem, à Rege & Optimatibus peragendo; simulq; suggerit occasionem demonstrandi Dei viventis in terris etiam, ad illumq; adorandum contumacem Danielem compellendi.

*Scena 2da.* Darius Rex cum Principibus, & Optimatibus Deo Draconi sacrificaturus, ad ejus descendit antrum, ubi Danielem ad adorandum compellit: *nunc non potes dicere, qvod iste non est DEus vivens, adora ergo eum.* Dan: 14. c. cui reponenti, se colere DEum viventem talem, qvi simul est immortalis; ad demonstrandum verò, qvòd Draco non sit immortalis, petenti potestatem occidendi illius *absq; gladio & fuste;* dum hæc à Rege datur, offam *ex pice, adipe, & pilis* confectam Dan: 14. c. porrigit devorandam Draconi; qva absumptâ Draco disrumpitur, Daniele exprobrante: *Ecce! qvem colebatis.* Dan: 14. c.

*Scena 3tia.* Audientes Babylonii Draconem à Daniele interfectum, tumultum incitant, *indignatiq; vehementer* irruunt in Regem clamantes: *Judæus factus est Rex, Bel destruxit, Draconem interfecit, & sacerdotes occidit.* Dan: 14. c. seditioseq; Danielem tradi iubent, alioquin Regem interficiendum minantur. Qvare *Necessitate compulsus tradit Babyloniis Danielem.* Dan. 14. c. qvem mox illi in lacum leonum mittunt, Rege tempori cedente.

*Scena 4ta.* Habacuc Propheta inducitur, portans in Iudæa cibum messoribus, qvem *apprehendens Angelus Domini in vertice, portat eum capillo capitis sui, ponitq; in Babylone super lacum,* Dan. 14. c. iubetq; reficere Danielem, unde postea eum in Iudæam reportat, *restituitq; confestim loco suo.* Dan. 14. c.

*Scena 5ta.* Rex Darius *venit cum Optimatibus, ut lugeret Danielem, ad lacum,* Dan. 14. c. ipsoq; vivo è medio leonum extracto, Principibusq; seditionis in lacum præcipitatis, redit in Regiam, ubi lætitiam ex incolumitate Danielis Populo demonstraturus, Regale instruit Epulum, in qvo hilaritatem augentibus Aulicis, inter lætos applausus & tripudia, Daniel *Colega Regis* Dan: 4. c. creatur, simulq; cum edicto, qvod formaverat Darius Rex, *ut omnes habitantes in universa terra, paveant DEum Danielis, qvia ipse est salvator, faciens signa & mirabilia in terra, qvi liberavit Danielem de lacu leonis,* Dan: 14. c. per totum orbem promulgatur.

## EPILOGUS.

Sapientia dum se constantiorem exulum Fortunam prædicat, evidens suæ beneficentiæ, in Daniele ex captivitatis vinculis in extorri solo ad Regale solium evecto, demonstrans exemplum; Adveniens Pallas cum laureato Palæstritarum cætu, illos in adstites Sapientiæ promovet; cui annuens Sapientia, promulgata à Pallade promotorum nomina, in numerum, suo non frustrandorum favore, adlegit sectatorum.

Ad Majorem DEI Gloriam.